



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm I. Habitvm A Ivlio Papa I. Et Reliqvis Centvm Et  
Sedecim orthodoxis episcopis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
337.

**CONCILIVM ROMANVM I.**  
**HABITVM A<sup>b</sup> IVLIO PAPA I.**  
ET RELIQVIS CENTVM ET SEDECIM  
orthodoxis episcopis.

**I**N nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, imperantibus quoque <sup>c</sup> Constantio & Constante Augustis, anno quarto, sub die XIX. Kalendarum Octobrium, <sup>d</sup> indictione sexta, praesidente sancto ac beatissimo Iulio papa sedis apostolicae Romae, propositis sacrosanctis & venerabilibus euangelii, in ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quae vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus, <sup>e</sup> Benedicto Aquileiensi episcopo, <sup>f</sup> Rufo Carthaginensi episcopo, <sup>g</sup> Agapito Rauennatis ecclesiae episcopo, <sup>h</sup> Iulio Mediolanensi episcopo, Luciano <sup>\*</sup> Maurianensi, & reliquis cum eis 116. episcopis, Iulius praedictus sanctissimus episcopus urbis Romae dixit sanctae Dei & apostolicae Synodo, & Dei voluntate & gratia in indiuisa communione sancti Spiritus in hac consonanter & vnanimiter congregatae antiqua alma vrbe Roma, ad confirmationem sacram & correctionem fidei nostrae & Christianorum immaculatae disciplinae: Vt nostis, beatissimi fratres, necesse est cogitare, & consonanter omnes nos docere, secundum naturam Dei summi & Patris sapientiam, Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi omnem desiderantem humanam, diuinamque in eo, attestante veritatis voce, naturam: *quoniam qui confitebitur me* Matth. 10. *coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in caelis est: qui autem negauerit me & verba mea, negabo eum & ego coram Patre meo qui in caelis est.* Vnde oportet vt primo fidem trecentorum decem & octo patrum in Nicana Synodo corroboratam ponamus, & postmodum quae necessaria sunt fideliter tractemus. Cui ab omnibus vna voce responsum est: <sup>i</sup> Ad hoc conuenimus, vt hoc primum secundum Dei voluntatem faciamus, & a fundamento Christi Iesu incipiamus, <sup>k</sup> & denuo pro fratrum oppressione tractantes laboremus: quia dum illi tam grauius

H h h h iij

\* Maria-  
nensi,  
& fuit  
quondam  
archiepi-  
scopus  
Cala-  
briae.  
\* Mara-  
nen- &  
fuit  
quondam  
episco-  
patus  
Dalma-  
tia.



affliguntur, nos nec respirare nec quiescere possumus : quia dum membra vexantur, corpus reliquum pacem aut quietem minime habere poterit. Hæc est enim fides, autem in Nicæna generali tractata Synodo.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium inuisibiliumque factorem : & in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, vnigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus, & resurrexit tertia die, & ascendit in cælos, & venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Dicentes autem, Erat, quando non erat, aut, Non erat, antequam fieret: aut, Quia ex non existentibus factus est, aut, ex altera substantia vel essentia dicentes esse, aut, creatum aut conuertibilem Filium Dei, hos tales anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Hanc fidem venerabilem trecenti decem & octo & agnouerunt & corroborauerunt, consonantesque & vnanimis scriptis explanauerunt. Nam Dominus noster

*Matth. 28.*

*mittens ad prædicandum discipulos suos, ait : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* De quibus & affirmamus ita habere & ita sapere, sed etiam dudum sic habuisse, & ita sapuisse, & usque ad mortem pro hac stare fide, anathematizantes omnem sine Deo hæresim. Hæc omnia ex corde & anima nos sapuisse, ex quo nouimus nosmetipsos, & nunc sapere & dicere, coram omnipotente Deo & Domino nostro Iesu Christo, cum veritate testamur. His enim ita prælibatis, ingenita Patris natura extranea est, sed prædicandum est esse consubstantialem Patri Filium, eo quod nullam æqualitatem ad creaturas factas Dei Filius habeat, sed soli Patri genitori per omnem modum sit similis, & non sit ex alia qualibet substantia vel essentia, sed ex Patris. Ante omnia siquidem exquisita sunt impia & iniqua & sine Deo dogmata Arii, & consentientium ei, sub præsentique omnium decreto complacuit anathematizari impiam eius sectam, & iniqua atque sine Deo verba simul & nomi-



offumus :  
m pacem  
nim fides, \*

ntem, om-  
in vnum  
ex Patre,  
m ex Deo,  
atum non  
nnia facta  
er nos ho-  
c incarna-  
tertia die,  
os & mor-  
rat, quan-  
c, Quia ex  
tia veles-  
ibilem Fi-  
postolica  
m & octo  
tesque &  
us noster  
Euntes do-  
Filii, &  
ere & ita  
uuisse, &  
atizantes  
& anima  
nc sapere  
no nostro  
n ita præ-  
radican-  
quod nul-  
abeat, sed  
& non sit  
tris. Ante  
& sine Deo  
esentique  
i impiam  
& nomi-

ANNO  
CHRISTI  
337.

na quibus utebatur, Filium Dei blasphemans, & dicens, Ex non extantibus esse; & iterum, Fuit aliquando, quando non fuit. Quomodo enim fuit, aut quomodo iterum non fuit? Et pro libero arbitrio, malitiæ atque virtutis capabilem Filium Dei dicentes, & creaturam nominantes eum atque facturam. Hæc ergo omnia fatua & anilia & blasphema anathematizauit sanctum & vniuersale Concilium, & nec  
\*rumoris vsque ad auditum impiæ sectæ atque \* tumoris huius, aut intellectuum iniquorum sensum accommodauit. <sup>m</sup> Ea quidem, quæ de illo gesta sunt, qualem terminum habuerunt omnia iam audistis & audietis, ne nos forte videamur viro obloqui propter delictum suum impropria digna portanti. Eos enim, qui diuidunt a paterna substantia & diuinitate, & alienant Verbum a Patre, diuidi ab ecclesia catholica conuenit, & esse alienos a nomine Christiano. Sint igitur nobis & omnibus anathema, eo quod Verbum veritatis videantur esse cauponati. Apostolicum namque præceptum est: *Si quis vobis annuntiauerit præter id quod Galat. 1. accepistis, anathema sit.* His ergo nullum communicare denuntiate: *Nulla est enim communio luci ad tenebras.* Hos pel- <sup>2. Cor. 6.</sup> lite procul ab omnibus. *Nulla enim concordia Christi ad Belial.* Seruate vos, fratres carissimi, vt neque scribatis eis, neque eorum scripta suscipiatis. Studete simul & vos, fratres carissimi & comministri, tamquam spiritu præsentis, nostro Concilio consentire, atque subscriptione vestra decernere, vt ab omnibus vbique comministris nostris consonantia vna seruetur. Abdicamus autem illos, & extra terminos catholice ecclesie abiicimus, qui non affirmant quod Deus est Christus, sed aiunt, Verus Deus non est, quia filius est, sed verus filius non est, ne genitus sit simul & ingenitus. Sic enim se intelligere natum profiterentur, quia sic dixerunt: Quod natum est factum est. Et quia cum Christus ante sæcula sit, dederunt ei principium atque finem, sed habet ante sæcula. Oremus simul & pro nobis omnibus, & reliquis oppressis fratribus, vt ipsi seruantur illæsi, & seruentur immaculati, vt quæ bene placuerunt firma permaneant per Dominum nostrum Iesum Christum, secundum bonam voluntatem facta, sicuti credimus, Dei & Patris in Spiritu sancto, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Trinitas consubstantialis



æterna est. Data Kalendis Nouembris, Feliciano & Maximiano viris clarissimis consulibus.

ANNO  
CHRISTE  
337.

## NOTÆ.

Causa conuocati Concilii duplex.

<sup>a</sup> *Concilium Romanum.*] Cum recens electi pontificis munus esse videretur, vt fidem catholicam suo ipsius ingressu ante omnia ecclesiæ catholicæ publicis monumentis testatâ redderet, Iulius papa ipso sui pontificatus exordio, centum decem & sex episcoporum Concilium, duas potissimum ob causas conuocauit: quarum prima est, vt certæ fidei confessionem ederet, ipsamque Synodum suo quoque calculo confirmaret. Altera est, quod Arianam hæresim ante condemnatam, sua etiam sententia excommunicari ac proscribi voluerit. Vtramque causam in actis insinuatam infra indicabimus.

Causa 1.

Causa 2.

De tempore habiti Concilii controversia vnde orta? Prima opinio.

<sup>b</sup> *Sub Iulio.*] Varia hic in principio Concilii chronologia apposita de tempore habitæ Synodi varie opinandi causam dedit. Propter additam indictionem sextam, Hieronymus Rubens in historia Rauennatum existimauit hanc Synodum Christi nati trecentesimo quadagesimo octauo anno, in quem sexta indictio incidit, celebratam fuisse, qua probabilitate, infra dicemus, verbo *Indictione sexta*. Alii, iuxta verba quæ habentur in ipso Concilio, hanc ad quartum annum imperii Constantini, Constantii & Constantis referunt, qui est annus Christi 340. quo tempore Romæ quidem in causa Athanasii & Marcelli Synodus indicta fuit, sed propter contumacem Eusebianorum absentiam in annum sequentem dilata est, vt ibidem dicemus. Inter has igitur diuersas de tempore opiniones, verior est hæc tertia, quam approbat & sequitur Baronius, quod nimirum, Feliciano & Titiano consulibus, anno Christi nati 337. Iulii pontificis primo, primo item imperii Constantini, Constantii & Constantis,

Secunda opinio.

Tertia sententia Baronii verior est.

Cur consulum non indictionum vel imperatorum chronologiam sequamur.

celebratum fuerit: chronologiam consulum, quam indictionis vel imperatorum libentius sequimur, vtpote quod in notas numeri facilius, quam in nomina consulum error illabi potuerit, quodque anni imperatorum & indictionum, in legibus ab imperatoribus latis additi, additis nominibus consulum velut euidentiore & solidiore nota firmari consueuerint, ideo sane, vt fastorum soliditate annorum imperatorum numerus vel indictionis semper integer seruetur, vel, si librariorum vitio corrumperetur, ex annotatis consulibus facile restitui posset. Hanc Synodum, qua nihil præter rectæ fidei confessionem & Arianæ hæresis detestationem reperitur, initio pontificatus Iulii celebratam fuisse, ea quæ supra diximus, verbis *Concilium Romanum* non parum confirmant. Quæ vero infra dicemus verbo *Indictione*, nostram de tempore Concilii sententiam euidentissime demonstrabunt.

Quibus imperatoribus, & quo anno imperii Concilium hoc celebratum sit.

<sup>c</sup> *Constantio & Constante Augustis, anno quarto.*] Constantinus postquam fratris Constantis imperium inuassisset, ab exercitu fratris necatus fuit, quarto anno imperii sui inchoato: ideoque hic duorum duntaxat fratrum Constantii & Constantis anno res in Concilio gestæ consignantur. Vere autem Constantino, Constantio & Constante primum



IMPP.  
ano & Ma-  
317.

ANNO CHRISTI 317. primum annum imperii tenentibus, hanc Synodum inchoatam & absolutam fuisse supra sufficienter est probatum.

<sup>d</sup> *Indictione sexta.* ] Indictio est periodus quindecim annorum quae evoluta emeriti milites quindenii, honesta missione & capitationis immunitate impetrata, si vellent, soluti militia libere abire poterant; si nollent, maioribus privilegiis auerentur. Periodus illa quindecim annorum appellata est indictio, quod quindecim annorum stipendia militaria per quindecim indictiones annonae provincialibus militibus principis rescripto erogande numerarentur. Initium earum referendum est ad octauum diem Kalendarum Octobris, anni Christi 312. qui est Constantiniani imperii septimus. Cum enim omnium frugum plenissima collectio eo tempore facta esset, opportune admodum circa illud tempus imperatores exhibendam militibus annonam proposito edicto annis singulis edicere consueverunt. Hac temporis nota principio sola militaria stipendia consignabantur, postea vero eadem tam in censualibus tabulis, quam in matriculis militariibus adhiberi incepit. Apud externos ante Constantini tempora eius mentio nulla; apud ecclesiastica monumenta, in hoc Concilio Romano, & apud sanctum Ambrosium in epistola ad episcopos Aemiliae prima eius mentio reperitur. Vide Baronium anno 312. num. 104 & quinque sequentibus. Dolendum est vehementer primam indictionis mentionem adeo euidenter corruptam ac vitiosam esse, quod quidem Hieronymus Rubeus praedicto loco impugnat, sed nullo firmo praesidio munitus, satis temere: si enim hoc Concilium, quod asserit Rubeus, sexta indictione, tempore Constantii occurrente, celebratum fuisset, illud utique anno Domini 347. cuius mense Septembri sexta indictio incipit, atque adeo eodem anno quo Synodus Sardicensis habitum fuisset: vnde grauiora incommoda sequerentur haec, quod nimirum eodem anno earundem ecclesiarum, Rauennatis, Carthagenensis, Aquileiensis, & Mediolanensis, plures ac diuersi episcopi fuissent.

Indictio quid, & cur sic dicta, & vnde orta?

Indictio hic posita, mendosa est.

Romano Concilio Aquileiensis ecclesiae episcopus Benedictus, Sardicensi eiusdem ecclesiae Fortunatianus quidam interfuisse scribitur: in hoc reperitur praesto fuisse Rufus Carthagenensis episcopus: in Sardicensi, qui in locum illius successit Gratus inter alios nominatur Canone 8. Rauennatis ecclesiae praesul Agapitus Romano, Seuerus Sardicensi Concilio subscripsit, sic Mediolanensium episcoporum Iulius Synodo Romanae, Protasius Sardicensi subscripsisse & interfuisse vtriusque Concilii acta aperte testantur. Cum ergo ecclesiae constitutionibus omnino repugnet, ut eodem tempore eiusdem ecclesiae plures episcopi fuerint, a veritate etiam alienum est duo Concilia praerallegata sexta indictione, quae cum anno 347. coincidit, celebrata fuisse. Vide Baronium anno 337. num. 69. & 71.

Ratio quare indictione sexta Romana Synodus celebrari non potuerit.

<sup>e</sup> *Benedicto.* ] Fortunatiani illius, qui Sardicensi Concilio Aquileiensis episcopus interfuit, antecessor. Vide quae dicemus infra in notis ad Sardicense Concilium.

Benedictus quis?

<sup>f</sup> *Ruso Carthagenensi.* ] Rufus Caeciliani in Carthagenensi episcopatu

Rufus quis?

Concil. Tom. 2.

liii

munus esse vi-  
omnia ecclesiae  
papa ipso sui  
Concilium,  
est, vt certae  
oque calculo  
condemnatam,  
t. Vtramque  
logia apposi-  
edit. Propter  
a historia Ra-  
entesimo qua-  
t, celebratam  
ne sexta. Alii,  
quartum an-  
erunt, qui est  
Athanasii &  
em Eusebia-  
bidem dice-  
rior est hac  
nirum, Feli-  
lii pontificis  
Constantis,  
dictionis vel  
numeri fa-  
t, quodque  
toribus latis  
& solidiore  
ate annorum  
seruaretur,  
onfulibus fa-  
ae fidei con-  
itio pontifi-  
is Concilium  
emus verbo  
identissime  
ntinus post-  
fratris nece-  
orum dum-  
ncilio getae  
& Constante  
primum



successor, & Grati illius, qui in Carthaginenfi primo, & Sardiceni præfens fuisse reperitur, antecessor fuit.

Agapitus  
Seueri an-  
tecessor.

<sup>s</sup> *Agapito Rauennatis ecclesia.* ] Agapitus Seuerum Rauennatis ecclesie episcopum, cuius nomen Sardiceni Concilio subscriptum est, præcessit. Vnde in catalogo episcoporum eiusdem ecclesie edito post Seuerum male ponitur Agapitus. Romanum Concilium ante Sardicense habitum fuisse, chronologia consulum & imperatorum euincit: indictione sexta, quæ cum anno Christi 347. & octauo, adeoque cum tempore habiti Concilii Sardicenis concurrat, non fuisse celebratam hanc Synodum Romanam supra ostendimus. Baronius anno 337. numero 69. & 71.

Iulius Me-  
diolanensis  
quis?

<sup>h</sup> *Iulio Mediolanensi episcopo.* ] Hunc Iulium Mediolanensis ecclesie episcopum eundem esse, quem Panuinus in fastis Maternum nominat, cuiusque est ille nobilissimus commentarius hoc titulo inscriptus: *Iulii Firmici Materni V. C. de mysteriis & erroribus profanarum religionum ad Constantinum & Constantem Augustos liber*, probabiliter existimat Baronius Protasium huic post Eustorgium successisse, acta Concilii Sardicenis, cui interfuit & subscripsit, satis aperte testantur. Errat igitur grauius Panuinus, dum Diocletiani temporibus in Laterculo suorum factorum habet Protasium, & post eum Maternum, & deinde Eustorgium, post illum vero temporibus Sardicenis Concilii Dionysium. Vide Baronium anno 337. numero 69. 73. & 74.

Error Onu-  
phrii.

Prima cau-  
sa Concilii.

<sup>i</sup> *Ad hoc conuenimus vt hoc primum.* ] Prima causa celebrati Concilii indicatur ea fuisse, quam supra diximus, nimirum vt fides de Christi Domini nostri diuinitate a Nicæno Concilio contra Arium defensa ac prædicata confirmetur.

Athanasius  
& Marcellus  
in exilium  
relegati.

<sup>k</sup> *Et denuo pro fratrum oppressione.* ] His verbis videtur insinuari persecutio Eusebianorum in oriente, qua anno Christi 336. Athanasius primo, deinde vero Marcellus Ancyranus in exilium pulsi fuerunt. Cum ergo sequente anno Christi 338. Athanasius ab exilio liberatus, Alexandrinæ ecclesie restitutus fuerit, vt infra patebit, medio tempore, quod est inter annum Christi 336. & 338. primo nimirum anno pontificis & imperatorum; decima, non sexta indictione, Feliciano & Titiano consulibus, anno Christi 337. hanc Synodum Romæ celebratam fuisse plane est concedendum. De Athanasii exilii tempore & reditu eiusdem in Ægyptum, hæc Theodoretus lib. 2. cap. 1. *Diui- nus ille Athanasius biennio integro & quatuor mensibus Treueris commoratus reuertit Alexandriam. Quo quidem tempore Constantinus filius Constantini magni, natus maximus, qui Gallia versus occidentem imperium obtinuit, literas scripsit ad ecclesiam Alexandrinam.* De eodem reditu suo hæc ipse Athanasius apologia 2. *Certe quidem beatus Constantinus minor, memor scriptorum patris sui, dum nos patria restitueret, in hæc verba epistolam misit:*

Athanasius  
quando &  
quomodo  
ab exilio  
reuerfus.



ANNO  
 CHRISTI  
 337.

*Constantinus Cæsar populo catholicae ecclesie Alexandrinae salutem.*

Neque vestram sacram mentem latere arbitror, ideo Athanasium adorandæ legis interpretem in Gallias missum esse, ne quo tempore sanguinolentorum hostium feritas sacro eius capiti quammaxime immineret, implicitusque malorum collimitio, aliquid intolerandum, & cui remedium nullum esset, pateretur. Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium subtractus, ut sub me ageret iussus est. Atque ita in hac vrbe commoratus est, ut omnibus rebus necessariis abundaret, tamen eius reuerenda virtus, diuina ope fretus, onera asperioris fortunæ vilipenderet. Iam cum imprimis vestræ in Deum pietati, suisque sedibus hunc episcopum dominus noster & pater Constantinus restituere vellet, & humana sorte præuentus, antequam hoc votum impleret, requieverit; ego mihi conuenire puto, ut, suscepta voluntate sacræ memoriæ imperatoris, id ipsum adimpleam quod ille non potuit. Cum igitur Athanasius ad vestrum conspectum penetrauerit, tunc demum intelligetis quantæ apud nos reuerentiæ fuerit. Neque id mirum videri debet, si quid huiusmodi in eius gratiam fecerim, ad hoc enim faciendum meam mentem & vestri desiderii imago, & species tanti viri instigauit. Diuina prouidentia vos seruet, dilecti fratres. Datum Treueris xv. Kalendas Iulias.

Errant igitur Rufinus & Epiphanius, quorum ille sex annis, hic vltra duodecim annos Athanasium exulasse scribunt. Quartum enim annum imperii sui Constantinus minor, qui illum restituit non exegit. Accedit, quod prædictæ literæ imperatoris Constantini non obscure significant, statim post obitum patris sui illud accidisse. Vide quæ diximus in notis epistolæ Iulii.

Rufini & Epiphani error.

<sup>l</sup> *Dogmata Arii.* ] Secunda causa celebratæ Synodi significatur, ut scilicet Arianæ hæreseos sectatores anathematizarentur.

Secunda causa Concilii.

<sup>m</sup> *Ea quidem quæ de illo gesta sunt.* ] Insinuatur Synodum hanc eo tempore quo foedus & mirabilis Arii interitus recens contigerat celebratam fuisse: adeoque verum esse, quod supra frequenter asseruimus, id circa initium Iulii & trium imperatorum accidisse. Arium autem anno Christi 336. cum iussu imperatoris per Constantinopolitani conciliabuli præfides ac iudices Eusebianos de suspitione infidelitatis & erroris expurgatus fuisset, vitam ipsam cum excrementis & visceribus emisisset, constat ex iis quæ supra diximus in notis ad vitam Marci, & Concilii Constantinopolitani sub Marco. Arius, qui secundo anno Con-

Arii obitus qualis & quando.



stantii, qui est Christi 338. Laodicæ in Syria cum Athanasio disputasse scribitur, ab hoc, de quo nunc agimus, alius fuit: forte is, qui in Sardicensi Concilio nominatur.

ANNO  
CHRISTI  
337.

Titianus  
collega Feliciani.

<sup>a</sup> *Feliciano & Maximiano consulibus.* ] Maximinus siue Maximianus Feliciani collega perperam hic & apud auctorem libri pontificalis collocatur, quia Cassiodori & Græcorum factorum consensu Feliciano non alius quam Titianus collega iungendus est. Sanctio & lex Constantini imperatoris I. de contrah. empt. cod. Theodof. hoc anno data, & dictis consulibus Feliciano & Titiano consignata, hoc quod diximus plurimum confirmat. Vide Baronium anno 337. numero 1. & 67.

<sup>a</sup> CONCILIVM <sup>b</sup> ALEXANDRINVM  
EX CATHOLICIS EPISCOPIS  
Alexandrinæ ecclesiæ in causa Athanasii.

ANNO  
CHRISTI  
339.

NOTÆ.

Athanasius  
ab exilio  
reuocatus  
vicissim ab  
Eusebianis  
accusatur.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] Cum Constantinus imperator voluntatem patris defuncti executus Athanasium biennio exulantem ecclesiæ suæ restituisset, reditum illius Ariani indigne admodum ferentes, veteribus calumniis tres alias nouiter excogitatas addiderunt hæc: primum, quod reditus illius omni populo ingratus fuisset, cædesque plurimorum concitasset: secundo, quod a Synodo damnatus absque synodali decreto temere & contra Canones sedem recipere præsumpsisset: tertio, quod frumentum ex liberalitate imperatoris Ægypti ac Libyæ viduis exhiberi solitum surripuisset. His commentis instructi ad Iulium Romanum pontificem, sicut etiam ad occidentalis imperii imperatores Constantium & Constantem, legatos quosdam ex suis ablegarunt, qui spuria illa acta Tyri secum deferentes, eaque Iulio pontifici offerentes, peterent vt Athanasii condemnatio Tyri facta rata ac firma haberetur. Quod cum orthodoxi episcopi Alexandrinæ ecclesiæ rescuiissent, subito congregati, accusationes Ariatorum nouas simul ac veteres ad examen & iudicium vocarunt, dum accusationes eorum calumniis plenissimas esse animaduertissent, vtilissimum fore iudicarunt, vt ad legatos Ariatorum refutandos, suos ipsi etiam ablegarent, eosque synodali epistola aduersus omnes Eusebianorum accusationes, tam veteres Tyri productas, quam etiam nouas ab iisdem recens excogitatas, scripta instruxerunt & confirmarunt. Quos cum eodem tempore simul Romæ & apud imperatorem cum Arianis præsentibus esse contigisset, mendaciis Ariatorum vtrobique refutatis, de hoste prostrato ac deuicto apud imperatorem & pontificem gloriose admodum triumpharunt. Ad pudorem quo suffundebantur aduersarii minuendum, ad Concilium aliud subito prouocarunt. Hæc Baronius anno 339. ex

Ariani mittunt legatos ad pontificem & imperatorem.

Concilium Alexandrinum mittit legatos catholicos in causa Athanasii ad eosdem.